

RODOLPHVS A HIRNHEIM RATISBONENSIS.



Rodolphus ex nobili familia Hirnheimiorum prognatus, in pueritia bonis literis operā dedit, & mediocrem earum cognitionem acquisiuit. Inde adolescens factus Cesarum castra secutus est, atq; magnam rei bellicæ peritiam acquisiuit. Itaq; Eberhardus Episcopus Ratisbonensis eius frater Rodolphum ad se recepit, atq; Magistrum suæ curiæ cōstituit. In ea dignitate per triginta & amplius annos perseverauit, & apud omnes in magna autoritate fuit. Quod si enim finitimi nobiles inter se de re quapiam dissentirent, hic Rodolphus se arbitrū interposuit, atq; utriusq; partis uolūtate multoties pacem ipsis restituit. Vnde non immeritò Rodolphus, ob præclaras animi & corporis uirtutes, dignus est, qui illustribus Germaniæ uiris annumeretur. Anon.